

genti ipsas duas constitutiones ad hunc finem per exten-
 6 sum relatas. Ab omnibus autem supradictis poenis, & ex-
 communicatione excepta, nemo dispensare, & absol-
 vere potest nisi Summus Pontifex, cum Sixtus V. dispen-
 sandi, & absolvendi ab illis facultatem sibi, & suc-
 cessoribus suis expresse reservaverit praevis his verbis
 in fine §. 8. contentis: *Ac tam absolventi, quam dispen-*
sandi facultatem hujusmodi, etiam quoad forum con-
scientie in casibus superius expressis, nobis, & suc-
cessoribus nostris dumtaxat reservamus: Et Grego-
rius XIV. solum moderavit quantum ad absolutionem
 a peccato, & excommunicatione; quia statuit, quod
 non obstante strictissima reservatione Sixti, possit nunc
 in foro conscientie absolvi Episcopus, & quilibet
 Confessarius sive secularis, sive regularis ab Episcopo
 specialiter deputatus, ut patet in fine §. secundi, *Quilibet*
Presbyter... specialiter per loci Ordinarium deputatus,
plenam, & liberam in foro conscientie tantum absolventi
 facultatem; eandem prorsus, quam idem Sixtus V.
 praedecessor noster sibi, ac suis successoribus reservavit.
 Verba constitutionis Sixti V. a Gregorio XIV. confir-
 matione inuunt, non proferri censuram contra feminam
 procurantem abortum in se ipsa, sed contra procuran-
 tem in alia femina. Ita P. Avila contra Bonacinam apud
 Mend. in *Stratera dissert.* 13. q. 11. n. 153. Naldus in
Summa, verb. Abortus, n. 11. Machad. de *Perfect.* confes-
 s. 1. lib. 2. part. 3. tract. 17. docum. 9. n. 1. Et hoc multo
 magis si metu cadente in virum constantem cogere-
 tur, v. g. potione sumere, ex qua sequatur abortus.
 Marzuchellus de *casib. reserv. disp.* 2. cap. 3.
 q. 3. n. 48.
 An autem incidat in excommunicationem Canonis
 si quis suadente, monialis gravida, quae graviter se
 percuteret pugnis, ut abortiat, utpote persona eccle-
 siastica, tutior, & certior est affirmativa sententia; nam
 estis appareat, non inferre illam sibi, sed foetui inju-
 riam, at re ipsa status ecclesiasticus in ea persona lae-
 ditur; & in eo Canone fertur censura contra exercentem
 violentam actionem peccaminosam, quae ibi adest.
 Patet hoc, quia si ea femina rogaret, quod alius eam
 pugnis graviter percuteret, ut sic abortiret, percussus
 in eam incidere excommunicationem, licet id praestaret
 solo animo abortum procurandi: ergo id ipsum asserendum
 est, si ipsa femina se percutiat. Naldus in *Summa*
 verb. Clericus. n. 4. Mendo in *Epitome*, verb. Abortus,
 n. 6. Bordon. in *consil. regular.* tom. 1. *resolut.* 28.
 n. 10. qui hanc decisionem extendit ad extraneum dante
 potione moniali, ut sequatur abortus, effectu secuto.
 Contrarium tamen sentiunt alii plures apud Dianam
 p. 7. tract. 5. *resol.* 40. p. 9. tract. 4. *resol.* 10. ¶
 7. Approbantes, seu ratum habentes abortum suo no-
 mine factum, omnes supra recensitas poenas incurrun-
 8 ratum habeant, aut approbent ante factum: minime ve-
 ro si solum postquam sciverint factum: quia in priori
 casu sunt causa influxiva, non autem in secundo; & om-
 nes quomodocumque concurrentes, seu influxum habentes
 ad abortum foetus animati dictas poenas incurrun-
 9 ex constitutione Sixti V. incip. *Effrenatam*, & non mo-
 derata quoad illas per constitutionem Gregorii incipienti.
Sedes Apostolicas.
 Procurantes abortum foetus evadunt irregulares etiam
 in dubio, an foetus sit animatus, sicut evadit irregula-
 ris, & ut talis est habendus qui dubitat aliquem occi-
 10 dederit, ut colligitur, ex cap. Ad audientiam 12. §.
 cap. Significasti 18. de homicidio. Et haec irregularitas pro
 abortu foetus animati est reservata Pontifici, nec po-
 test dispensari ab alio, quam ad ipso: ex citata consi-
 titur. *Effrenatam*. ¶ Cum quis fit irregularis ob procura-
 tionem abortus, si casus sit occultus, potest dispensationem
 perire a Penitentiaria. Attraem, si ipse
 fuerit genitor ejus foetus, tenetur hanc circumstantiam
 explicare, alias dispensatio erit nulla, utpote subreptitia,
 quam alii ad eum juvantes, cum circumstantia filii occi-
 11 cisi in eo foetu mutet speciem homicidii, & sicut
 patricidium habet circumstantiam, quae mutat spe-

ciem, sic & filicidium, cum sit contra virtutem pie-
 tatis, & justitiae naturalis. ¶
 Immo procurantes abortum malis medicamentis non
 gaudent immunitate ecclesiastica. Sac. Cong. Conc. 3. De-
 12 cemb. 1632. In hac materia abortus duas sunt damnatae
 propositiones ab Innocentio XI. Prima 34. in ordine est
 ista: *Licet procurare abortum ante animationem factus, ne*
puella deprehensa gravida occidatur, ut infametur. Secun-
 da 35. in ordine est haec: *Visdetur probabile omnem factum,*
quandiu in utero est, cavere animam rationalem, & tunc pri-
mitum incipere eandem habere cum paritur, ac consequen-
ter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.
 Sic in Decret. edit. 2. Martii 1679.
 ¶ Abortus, vel abortum, vel abortio idem signifi-
 13 cant l. 30. §. quod dicitur 2. ff. de acq. her. l. 38. §. qui
 abortivus ff. de pan. Effluxiones quae a Graecis *εμβρυος* ap-
 pellantur, improbitur abortus a physicis dicuntur, & intra
 septimum diem a conceptione ut plurimum contingunt:
 Hippocr. in lib. de seip. parv. & Aristot. lib. 7. de hist. ani-
 mal. c. 3. Abortus vero, & abortus distinguuntur a Nonio
 Marcello de propriet. serm. cap. 5. ut sit abortus, qui fit
 primis mensibus cum conceptio facta est: Abortus, prope
 tempus pariendi. Dicitur autem fieri abortum, cum mulier
 non tempestive foetum in lucem protulit, vel ob aliquas
 sine dolo malo convenientes causas, de quibus egerunt
 Hippocrates Aphor. 12. lib. 3. & in lib. de nat. puer. Galen-
 14 us in com. ad Aphor. Hipp. lib. 5. Aphor. 30. 31. 34.
 45. & 55. & lib. 3. de facult. nat. Aristotel. sect. 1. probl. 9.
 Plinius lib. 14. cap. 18. & alibi passim: A. Gellius noct. Attic.
 lib. 3. cap. 16. & ex Jurisprictis Menochius cons. 288.
 n. 11. lib. 3. & lib. 6. praesumpt. 52. a. n. 22. Peregr. cons. 11.
 n. 4. lib. 3. Marius Giuba in consuet. Senat. Messanen.
 cap. 19. gloss. 1. n. 6. vel ob vim ventris illatum, ut ante
 tempus partum edat: Ulpianus in l. 1. §. toties ventris. idem
 erit 4. ff. de ventr. in poses. mit. Abbacius ventrem dixit
 Paulus lib. 4. sent. tit. 9. §. 6. foetum veniens, & medica-
 15 mentis ejectionem, ab abortu paritur, Optatus Afer; unde abi-
 gere partum, veniens, & medicamentis expellere, & eneca-
 re significat, in l. 4. ff. de extraord. crimin. l. 8. ff. ad l.
 Cornel. de Sicar. l. 39. ff. de pan. apud Cicronem pro Cluentio,
 & Suetoniam in Domitian. cap. penult.
 Apud cultiores gentes tunc facinus severis legibus
 coercitum fuit, observante Alphonso a Caranza de part.
 cap. 16. mun. 1. §. unice. de abort. procur. & ejus poen.
 Romanis diversam tenuisse sententiam quoad liberos in
 utero clausos, pro completo est. Eorum expulsiorem
 violentam nequidem ad infanticidii crimen referebant,
 eadem autem infantum jam natorum plectendam judica-
 16 bant. Diversitatem enim inter editos, & edendos consti-
 tuebant, in illos dumtaxat crimen infanticidii cadere,
 non sequi in hos, idque ex principis Philosophorum &
 maxime Stoicorum. Stoici enim, & Philosophorum non-
 nulli foetum in utero matris portionem viscerum esse
 15 putabant; non animal, Plutarch. lib. 5. de plac. Philor.
 cap. 15. cap. 26. & *περι ζωων ανατ.* L. Senec. in epist.
 ult. Lysias in orat. *περι θυλακων*, cuius meminit Har-
 procraton. in verb. *εμβρυος* Theo Sophista cap. 2.
 progym. & Galenus in lib. *απο τοις τρις ανατ. βιβλ.* Eo-
 dem modo Jurisconsulti Romani, qui ut plurimum Stoi-
 cae Philosophiae addicti erant; vide Merulum Obs. lib. 1.
 cap. 8. & seqq. Schiliterum in manuud. Philor. mor-
 16 ral. cap. 1. §. 5. & seq. Bohemerum Exercit. ad Pan-
 dict. exercit. 2. de Stoi- cae Jurisconsultorum Philoso-
 phia; supponebant, foetum nondum editum, nec homi-
 nem, nec in rebus humanis esse, ut in l. 10. §. 1. ff.
 de vulg. & pupil. subit. l. 7. ff. de ventr. in poss. mitend.
 l. penult. de his quo pro non scripti. l. 164. de V. S. Talem
 foetum hominem separatum dicebant L. 14. Cod. de
 fiduc. libert. Animal vero esse negabant L. 1. §. 8.
 ff. unde cognat. idem omnino Papinianus in l. 9. ff. ad
 leg. Falcid. Ulpianus in l. 1. §. 1. de ventr. inspic. Tri-
 17 phonius in l. Cicerio ff. de pan. Marcellus non animal,
 sed spem animantis esse scribit l. 2. ff. de mort. infer-
 ideoque leviozem poenam abacti partus posuerunt l. 4.
 ff. de extraord. crimin. l. si mulierem ff. ad leg. Corn.
 de Sicar.
 His factis fundamentis inferebant, matrem foetum 17

expellentem homicidii, aut infanticidii supplicio haud
 esse coerendam; vide Joann. Franc. Ramos de pan. par-
 ricid. lib. 7. p. 257. Punia tamen erat extra ordinem,
 si alius injuriam hoc ipse iugulari, ut marito, cujus in-
 tererat foetum servari l. 1. §. 3. ff. de inspic. ventr. etiam
 post divortium vel mortem mariti l. 4. ff. de extr. crimin.
 l. 39. ff. de pan. l. 8. ff. ad l. Cornel. de Sicar. hac de
 causa post divortium marito integrum erat, uxori etiam
 neganti, se gravidam esse, facta inspeccione ventris, cus-
 todes apponere.
 18 Major potestas patri concessa erat in necandis in
 ventre infantibus, & abigendo ab uxore foetu, cum etiam
 occidendorum liberorum jam natorum suo modo potes-
 tatem haberet l. 11. de lib. & postum. quo respicit etiam
 formula adoptionis tradita a Gellio lib. 5. Noct. Attic.
 c. 1. Necessitatis tempore filium vendere, & pignorare
 pater poterat, ipsametque urgente comendandi non deneg-
 abatur olim potestas. (leg. 6. tit. 17. p. 4.)
 19 Christiani primi fuere, quid in gentilibus notarunt,
 Tertullianus in Apol. cap. 5. Minutius Felix in Octavio
 cap. 30. & foetum asserunt esse animal, Lactantius de
 opific. Dei cap. 17. Tertullianus loc. cit. neque esse par-
 tem matris, D. Augustinus contra Julianum lib. 6. cap. 5.
 In can. si ad matris de conscri. distincti. 4. Vide Korthol-
 20 tum de pagan. obit. lib. 3. cap. 9. §. 43. & seqq. Unde
 damnatae statim a christianis fuisse abactiones partuum
 Romanis iustitiae, prout ultra mox laudatos innuit D. Au-
 gustinus lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 17. relatus a
 Gratiano in cap. 7. c. 32. q. 2. dum utrumque improbat,
 tum perdere in utero foetum, antequam vivat, tum etiam
 postquam vivere coepit.
 21 Quo factum est, ut graviorem poenam abacti partus an-
 tiqui Canones definerint. Eam vero deinceps alii mitiga-
 runt, Can. 21. Conc. Ancyr. & Phebus Nomocan. tit. 13. c. 10.
 22 Maxime in Jure Canonico obtinuit ea distinctio, qua
 uti sunt Tertullianus de anim. cap. 27. D. Augustinus in
 cap. Quod vero 8. in cap. Moyses 9. 32. quest. 2. &
 quam approbavit Innocentius III. in cap. Sicut ex litera-
 rum 20. de homic. inter foetum animatum, & nondum
 animatum, ut primo casu delinquentis tanquam homicida
 puniatur, cap. Si aliquis 5. de homicid. cap. Consulisti
 in fin. 2. quest. 5. secundo vero casu mitius agendum sit,
 & ita quidem, ut non irregularitatem incurrat Clericus,
 dist. cap. Sicut ex literarum, Gloss. in dist. cap. Si aliquis.
 Hanc vero distinctionem a cap. 21. Exod. recte deduxe-
 runt, quidquid obgiant L. Imperator de L. Hebr. fo-
 23 gens. cap. 8. §. 2. & Bohemerus in jus eccler. Protestanti.
 lib. 5. tit. 10. §. 26. & seqq. ut post alios probant Sancta
 Crux de Hippocr. Philor. super text. 66. & a Caranza
 de part. cap. 1. §. 2. n. 12. Vid. in fin. leg. 10. tit. 29.
 part. 7. ubi contrarium casum speciale.
 24 Successit constitutio Sixti V. quae refertur ab Au-
 tore, & est tom. 2. Bullar. magn. pag. 648. ex qua eruitur.
 I. Clericos, tale quod perpetrantes indistincte irregu-
 lares esse, Laicos vero inhabiles ad ordines suscipiendos.
 II. Foro ecclesiastico subiectos degradandos, & Cur-
 25 riae seculari tradendos, ut ultimo supplicio afficiantur.
 III. Easdem poenas exercendas contra eos, qui steri-
 litatis potiones, & venena potionibus propinaverint, &
 quominus fatum concipiunt, impedimentum praestite-
 rint; ac ea facienda & exequenda curaverint contra
 mulieres ipsas, qua eadem pecula sponte, & scienter
 sumpserint.
 IV. Omnes in hoc reatu deprehensos ipso facto ex-
 communicatos judicandos esse.
 V. Hanc censuram a solo Pontifice, & quidem spe-
 ciali dispensatione solvendam esse, nec censi remissam
 per quamcumque indulgentiam, aut jubileam &c.

Subsecuta postea est constitutio Gregorii XIV. adduc-
 ta ab Auftore, & relata in Bullar. magn. tom. 2. pag. 709.
 qui in nonnullis capitibus Sixtinam correxit Bullam ut
 appositè observat Auftor.
 Qua vero poena puniatur is, qui abortivus poculum
 26 dedit abortu non sequuto, non una est DD. sententia.
 Nonnulli, relati a Farinacio quest. 122. part. 5. n. 96.
 voluerunt, eandem poenam infingendam esse ei, qui
 tentavit occidere infantem, & sic abortum facere, ac
 si occidisset. Contrarium tenet ipse loc. cit. n. 97. quia
 conatus non punitur eadem poena, effectu non sequuto,
 ac si effectus sequatur. Ideò infingendam esse putat pu-
 nam mitiorem, ut puta relegationem.
 Tandem observandum est etiam a jure communi varia-
 27 rias in praesentes abortioni causa status esse poenas,
 quae pro varietate casuum vel augentur vel minuantur.
 Vide Caranza de par. cap. 16. §. 2.
 A quo tempore vero pro vitali habendus sit foetus, 28
 non una est Philosophorum, & Jurisconsultorum senten-
 tia. Vide Gregor. Lopez in l. 8. tit. 8. part. 7. gloss. 2.
 Ant. Thesaurum decis. 2. n. 2. Gothofred. ad L. 3. §. fin.
 de suis & leg. hered. ad L. Cicer. ff. de pan. Paul. Za-
 chiam in quest. med. leg. lit. 2. quest. 9. & 10. Laetium
 Zachiam de casib. reserv. super casu 9. August. Barbo-
 sam de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 51. cas. 9.
 n. 137. & Alphonsum a Caranza, qui rem totam arbitrio
 Judicis remittit de part. cap. 1. §. 2. n. 35. Multi ex au-
 thoritate Glosse in eam aberunt sententiam, post diem
 40. in masculis, 80. in feminis intrare animam in fo-
 etum conceptum, eumque ab hoc tempore animatum cen-
 29 serti, Farinac. in oper. crim. quest. 112. part. 6. n. 143.
 Martin. Azpilicuet. ad tit. 10. de homic. cons. 46. n. 2.
 Illud non omnitendunt est, si mulier, quae foetum in
 utero habeat, morbo aliquo laboret, cui nonnisi cum in-
 terfectione embryonis medicina fieri posset, & Medicus
 abortivus poculum dederit, quo foetus abactus sit, hoc
 impune licere, & extra poenam futuram Medicum Mar-
 Socin. in cap. Si aliqui n. 8. de homicid. ubi sex afferit ra-
 tiones, licet postea cum Felino primo vers. quod autem
 de muliere dist. tit. rem in medio relinquat.
 Menochius de arb. jud. q. cas. 357. n. 19. distinguit, 30
 utrum impetrata prius facultate a Magistratu, poculum
 abortivum dederit, necne? Si prius, tutum esse, in quam
 sententiam discessit Thesaur. dec. Pedem. dec. 12. n. 10.
 Viv. dec. 82. n. 11. Farinac. oper. crim. part. 5. q. 122.
 n. 124. Si posterius, extraordinariam poenam vix effuge-
 re Medicum docet.
 Distingunt quoque DD. inter foetum animatum, &
 31 inanimatum: illo casu extra culpam esse negant, hoc se-
 cus; & si probabile sit utrique imminere mortem, tenent
 sine culpa remedium fieri adhiberi posse. Sed id etiam
 publica autoritate fieri debere volunt Covarr. ad Clement.
 Furiosus §. 3. n. 1. Zoes. ad tit. decr. homic. n. 38. Vide
 Sanch. de matrim. tom. 2. disp. 20. lib. 9. n. 7. & seq. Franc.
 Ranchin. in Comment. ad jusjur. Hippocr. leg. 5. quest. 1.
 Stryk dissert. jurid. tom. 9. disp. 11. cap. 2. §. 25. ¶

ABSENS.

ARTICULUS I.

Absens quoad electionem.

SUMMARIUM.

Absens vocari debet ad electionem, vel per nuntium,
 vel per epistolam, ubi locus est certus, ubi vero est
 incertus
 Aborto secuto foetu jam animato, in eum abortivus causam scienter, & deliberate procurantem mortis poe-
 na fulminatur: exilii autem, si in utero existenti, nondum erat anima infusa (1).
 (1) L. 8. tit. 8. part. 7. ibi: Decimos, quae si era ya
 viva en el ventre, estonce quando ella esto ficiera, que
 debe morir por ello. Fuera ende si gelo ficiesen fa-
 cer por fuerza, asi como facen los Judios a sus Moras,
 ca estonce el que lo quiso facer, debe aver la pena. E
 si por aventura non fuese aun viva, estonce non le de-
 ben dar muerte por ello. Mas debe ser desterrada en al-
 guna Isla por cinco años;

- 1. incertus debet vocari per edictum, alioquin quod in eius absentia fieri contigerit, eo instante irritari debet.
- 2. Absens, ut expectari debeat, parum refert an sit intra, vel extra provinciam, quando commodè vocari potest.
- 3. Absens non potest suffragium suum dare per literas.
- 4. Absens legitime impeditur de iure communi potest suffragium dare per procuratorem.
- 5. Procurator fratrum constituitur nedium de Collegio, sed etiam extraneus.
- 6. Si procurator sit de gremio capituli, tenetur capitulum illum admittere: secus si sit extraneus.
- 7. Quod capitulum possit admittere extraneum, nulli est dubium.
- 8. Dicitur notanter de iure communi posse absentem constituere procuratorem: quia de iure particulari, maxime penes regulares attendenda, & observanda sunt speciales consuetudines, & propriae constitutiones quibuslibet religionis, & capituli seu conventus.
- 9. In ordine fratrum minorum absentium vota suppleri non possunt, neque per procuratorem.

- 1. **ABSENS** vocari debet ad electionem, vel per nuntium, vel per epistolam, ubi locus est certus, ubi locus est incertus, debet vocari per edictum: alioquin quod in eius absentia fieri contigerit, eo instante, irritari debet. Cum in Ecclesiis de praedictis in 6. cap. Coram dilecto de elect. cap. Quod sicut 28. de elect. cap. B. M. 26. de elect. in 6. Rota part. 18. tit. 1. dec. 5. n. 8. Absens, ut expectari debeat, parum refert, an sit intra, vel extra provinciam, quando commodè vocari potest: Gloss. in cap. Cum in ecclesiis 33. verb. Si commodè de praebend. 1. dec. 5. n. 7. Absens non potest suffragium suum dare per literas, cap. Si quis iusto 46. de elect. in 6. etiam nullus de collegio velit esse procurator ejusdem, nec ipse, nolente capitulo, extraneum valeat deputare, quia votum non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secreto sigillatim unctimodò exprimentum, cap. Si quis §. fin. de elect. in 6.
- 2. Absens legitime impeditur de iure communi potest suffragium dare per procuratorem: cap. Quia propter 42. §. Illud autem de elect. in 6. cap. Si quis iusto 46. eodem titulo.
- 3. Et procurator potest constitui nedium de collegio, sed etiam extraneus, cum hac tamen differentia, quod si procurator sit de gremio collegii, tenetur capitulum illud admittere: cap. Quia propter 42. §. Illud autem de elect. in 6.
- 4. Si autem procurator non sit de gremio capituli, sed extraneus, poterit capitulum illum acceptare si velit, sed non tenetur acceptare si nolit, cum non teneatur extraneum admittere, ut colligitur ex cap. Si quis iusto 46. §. Absens de elect. in 6. & clarè explicat Gloss. ibi verb. Nolente capitulo, & expressè habetur in cit. cap. Quia propter 42. ubi dicitur, & tunc si nolueris, uni committat de collegio vicem suam.
- 5. Quod verò possit capitulum admittere extraneum, nulli est dubium, cum capitulum possit cedere favori suo, & extraneum admittere ad eligendum, ut colligitur ex cap. Scriptum est 40. de elect. in 6. & cap. Cum eccles. 3. de caus. Possess.
- 6. Dixi autem notanter de iure communi posse absentem constituere procuratorem ad suo nomine suffragandum, quia de iure particulari, maxime penes regulares, attendenda, & observanda sunt speciales consuetudines, & propriae constitutiones quibuslibet religionis, capituli, seu conventus, ut rectè cum multis aliis notat Passerinus cap. 10. de elect. num. 32.
- 7. In ordine enim fratrum minorum per statuta generalia cap. 8. §. 3. n. 20. expresse cavetur, quod absentium

Notris jam temporibus concordia mediante, electio Praelati ad ecclesiam viduata, nec quarumcumque aliarum Dignitatum in Cathedralibus, Collegiatisve existentium, effectum sortietur, prout ibi proponitur (1).

(1) Vid. supr. num. 2.

vota suppleri non possint, nec alicui suum votum committere, aut per procuratorem suffragari in capitulis, vel congregationibus liceat. Alia vide verb. Electio.

Quod dicitur de vocatione absentium ad electionem, id locum sibi vindicat, si agatur de electione illa, in qua servanda est forma cap. Quia propter de elect. ut est electio Praelati, ex cuius obitu viduata remansit ecclesia.

Ceterum quod attinet ad electionem dignitatum ecclesiarum cathedralium & collegiarum potest impunè omitti vocatio absentium, quum hæc beneficia iure extraordinario, puta vel statuto, vel diuturna consuetudine, sint electiva, quinimodò in plerisque ecclesiis sunt collativa: Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica verb. Absens sect. 1. n. 4.

Ad electionem verò, in qua servari debet forma cap. Quia propter de elect. vocandi sunt absentes, qui sunt eo in loco, unde intra statutum electionis tempus commodè venire possunt. Quumque definitum in iure haud sit, quinam censi debeat locus ille, unde quis commodè venire valeat, dicendum est in primis, commoditatem illam referendam esse non ad electores, sed ad ecclesiam. Probèque advertit Louvrex dissert. can. 4. n. 51. & seq. determinandum id esse à conditione temporum & personarum, & signanter an subsit aliqua necessitas accelerandi electionem, v. gr. ob periculum infractiois, vel abusus secularis potestatis, similivis cause. Hoc autem periculo secluso, locus ille pro commodò habendus, ubi possint absentes intra electionis tempus adesse, & praesentes in nium coarctentur, nec ad ultimam temporis extremitatem redigantur, nulla facta distinctione an sit intra vel extra provinciam aut diocesim. Vis enim haud stat in qualitate locorum, sed in distantia, quum contingere possit, ut existens in provincia vel diocesi magis distet à loco electionis, quam existens extra illam.

Electorem, qui abfuturus est, potest aliquem de capitulo constituere, ut contingente postea vacatione suffragium nomine ipsius ferat, tenet Louvrex dicit. dicit. can. 4. num. 36. cum hac tamen conditione, ut Canonice tempore vacationis vel saltem electionis in eo existat loco, unde commodè intra electionis tempus venire possit, & nihilominus ibidem aliquo impedimento detineatur. Alia ad materiam vide apud eundem Louvrex dicit. dicit. can. 4. num. 33. ad 54.

ARTICULUS II

Absens quoad chorum.

SUMMARIUM.

- 1. Absens beneficiatus, ut fructus, & distributiones lucratur, duo requiruntur, scilicet iusta causa absentia, & licentia Ordinarii, non autem capituli.
- 2. Causa iuxta absentia est quolibet vera infirmitas.
- 3. Pro qua venit etiam caecitas.
- 4. Non verò surditas.
- 5. Absentia pro evidenti ecclesiae utilitate.
- 6. Pro negotiis & causis capituli.
- 7. Pro servitio curæ animarum annexa suo beneficio.
- 8. Et pro quolibet officio, & munere ad hoc à Summo Pontifice privilegiato.
- 9. Distributiones à Canonice absentibus amissa debentur Canonice interessentibus.
- 10. Quæ distributiones, & fallentia Canonice absentium debentur etiam Canonice jubilatis vigore Indulti, etiam si choro non intersint, quatenus eis non obstat statutum, vel consuetudo contraria ecclesiae.
- 11. Etiam si distributiones essent aucte post obtentam jubilationem.

Et

12. Et istæ fallentia Canonice absentium debentur etiam Canonice, qui Papa vel Cardinalibus inseruiunt cum indulto percipiendi distributiones pro diebus, & horis, quibus actualiter in tali servitute occupantur.

13. Alia remissio.

14. Novæ Addition. inseruntur, ad num. 28.

- 1. Absens beneficiatus, ut fructus & distributiones lucratur, duo requiruntur, scilicet iusta causa absentia, & licentia Ordinarii, non autem Capituli, gloss. in cap. Relatum in verb. Praelatorum, & ibi Abbas in 4. notabili de Clericis non residentibus, & Rota part. 1. dec. 608. n. 1. in Calaguritanæ Erectionis, & distributionum 26. Maji 1614. Causa autem iusta absentia est quolibet vera infirmitas, cap. 11. De Clerico non residente lib. 6. Pro qua venit etiam caecitas ex declaratione Sac. Cong. Episc. & Regul. 11. Augusti 1618. & Sac. Cong. Conc. 20. Julii 1629. Non verò surditas, sicut surdus, ut distributiones lucratur, debet presentem præstare in Choro, ex Sac. Congreg. Episc. & Regul. in Thesaur. 12. Martii 1619.
- 2. Absentia pro evidenti ecclesiae utilitate, ex cap. unico de Clerico non residenti. in 6. Pro negotiis, & causis Capituli, ex Sac. Congreg. Episc. & Regul. in Saanenst 21. Aug. 1604. Pro servitio curæ animarum nexæ suo beneficio, & pro administratione Sacramentorum in sua propria ecclesia, ex Sac. Congreg. Episc. & Regul. in una Laudensi 24. Nov. 1627. Et pro quolibet officio, & munere ad hoc à Summo Pontifice privilegiato, Communis cap. Propositus 4. de concession. praebend. Distributiones à Canonice absentibus amissa debentur Canonice interessentibus, ex Sac. Congreg. Concil. in S. Severini 16. Julii 1697. & in Calanensis 18. Julii 1699. Quæ distributiones, & fallentia Canonice absentium debentur etiam Canonice jubilatis vigore Indulti, etiam si Choro non intersint, quatenus eis non obstat statutum, vel consuetudo contraria ecclesiae, ex Sac. Congreg. Conc. in Romana 19. Apr. 1692. & in Aquilensis 23. Martii 1697. Etiam si distributiones essent aucte post obtentam jubilationem ut ead. Sac. Congreg. bis declaravit in Bonon. 16. Julii 1696. 20. Apr. 1697.
- 3. Et istæ fallentia Canonice absentium debentur etiam Canonice, qui Papa, vel Cardinalibus inseruiunt cum indulto percipiendi distributiones pro diebus, & horis, quibus actualiter in tali servitute occupantur, Sac. Congr. Concil. in Romana 27. Jan. 1691.
- 4. Alia vide verb. Beneficiatus, verb. Canonice verb. Distributiones, verb. Residentia.
- 5. Et Episcopus, qui simul sit Canonice, tamen si choro non intersit, nihil amittit vel fructuum, vel distributionum, eo quia abesse semper censetur ex legitima causa, Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica verb. Absens, sect. 3. distinct. 1.
- 6. Absentes à choro ratione servitii, quod præstat Episcopo, habentur pro presentibus iuxta cap. De cetero, & cap. Ad audientiam de Cleric. non resident. De his autem strictim agit Auctor in verb. Canonice, art. 5. n. 38. & 39. At frequens adeo est hæc materia, ut abs re haud sit plura de ea verba facere. De quatuor verò discernendum est ad plenam materiam rei actionem. Primò de servitio, quod efficit, ut absentes à choro habeantur pro presentibus. Secundo de personis, quas assumere valet Episcopus pro sui servitio, tum eorum numero. Tertio de effectibus, ad quos habentur pro presentibus. Et quarto demum videndum est, an idem jus competat Praelatis inferioribus.
- 7. Ad primum quod attinet, illud servitium, secundum verba & mentem mox indicatorum textuum, efficere valet, ut absentes pro presentibus habeantur, quod præstat Episcopo qua Episcopo, & sic in necessitatem vel utilitatem suæ ecclesiae: Fagnan. in dicit. cap. de cetero num. 13. Scarfanton. ad Cœcooper. lib. 1. r. 11. num. 21. At res eo processit, ut quaecumque servitium quod præstat Episcopo, idem operetur. Refertur enim à Barbosa de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 53. sub num. 143. Resolutio Sac. Congr. Concil. interpretis, qua dictum fuit servitium Praefecti cubitali hujus efficacie esse. Altera, eaque recentior, habetur apud Scarfanton.

ad Cœcooper. lib. 2. tit. 11. n. 18. resolutio ejusdem Sacre Congregationis, qua eadem efficacia tributa est servitio Secretarii.

Quod concernit secundum, si standum sit verbis 18 utriusque textus, solum assumere potest Episcopus pro sui servitio Canonice. An autem assumere valeat Canonice Doctorem vel Magistrum? Affirmat Barbosa de Canonice, cap. 25. sub num. 7. De dignitatibus controversitur, an eas itidem assumere queat. Vide Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canon. verb. Absens, sect. 3. dist. 2. art. 1. n. 1. & 2. Major est controversia, an possit Beneficiarius assumere. Negat cum aliis Monet. de distribut. quosdam, part. 2. q. 8. n. 8. At Scarfanton. ad Cœcooper. lib. 2. tit. 11. n. 20. refert resolutionem d. Sac. Congr. qua permittitur Episcopo assumere etiam Beneficiarios. Illud tamen inter omnes convenit, non solum ab Ecclesia Cathedrali, sed & à quibusvis Ecclesiis Collegiatis posse Episcopum personas, de quibus disseritur, assumere. Vid. Fagnan. in d. cap. de cetero num. 14. Louvrex dicit. canon. cap. 25. n. 43. Non potest tamen assumere nisi duas. Atque hinc est, quod si in diocesi existant plures Collegiatae, assumere valeat vel duos Canonicos, vel duos Beneficiarios ex Ecclesia Collegiata sibi beneficia, nequaquam verò duos ex unaquaque Collegiata Ecclesia ipsius diocesis, Louvrex d. dicit. canon. 23. d. n. 43.

Quoad tertium, non dubitatur haberi pro presentibus ad effectum perceptionis fructuum præbendæ. De distributionibus verò res non est adeò expedita. Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonice verb. Absens, sect. 3. dist. 2. art. 1. sub n. 7. tenet, percipere debere distributiones quotidianas, quæ ex ipsis fructibus præbendarum proveniunt, non item distributiones manuales dictas, quæ scilicet ex particularibus fundationibus obligentur ducunt. At hæc distinctionem rejicerent cum aliis quod dicitur Louvrex d. dicit. canon. 23. n. 41. In casu verò quo omnes fructus consistunt in distributionibus, percipere possunt duas ex tribus partibus, Fagnan. in d. dicit. de cetero n. 29. & seq. Scarfanton. ad Cœcooper. lib. 2. tit. 11. n. 15. Censet tamen Louvrex d. dicit. canon. 23. n. 42. quod Canonice, qui ab Episcopo principaliter assumpti sunt in utilitatem ecclesiae, ut si vocati fuerint ad statuum de his quæ pertinent ad ecclesiae officia, vel Ministros, vel si à Capitulo destinati sint ad dandum Episcopo consilium, vel assensum in casibus, in quibus Episcopus petere tenetur, distributiones percipere debeant.

Reliquum est ut de quatuor disseratur. Beneficiarius verò Praelatis inferioribus licitum est assumere itidem duos vel Canonice, vel Beneficiarios, quatenus accedat consensus capituli, & simul concurrat utilitas ecclesiae: Consule Scarfanton. ad Cœcooper. lib. 2. tit. 11. n. 14. & 15.

ARTICULUS III

Absens quoad judicia.

SUMMARIUM.

- 1. Absens nemo potest judicari, nec condemnari, nisi sit contumax.
- 2. Si verò absens legitime citatus contumax fuerit, ac cessante legitimo impedimento noluerit comparere, tunc potest judicari, & condemnari.
- 3. Absente parte conveniatur, etiam sine non contestata, potest etiam causa terminari.
- 4. Absens nemo potest judicari, nec condemnari, nisi sit contumax: cap. Absens caus. 2. q. 9. unde omnia acta, quæ sunt absente reo non continentur, sunt nulla, cap. Omnia caus. 3. q. 9. Si verò absens legitime citatus contumax fuerit, ac cessante legitimo impedimento noluerit comparere, tunc potest judicari, & condemnari, cum Bertoldus 18. de sententia, & re judicata. Legitime enim citati, & contumaciter absentes habentur pro presentibus L. Proferendum §. vni autem reus, juris glossa vers. De presentia cap. De judiciis. Unde absente parte contumaci, etiam lite non contestata, potest etiam causa terminari, cap. Veritatis de dolo, & consummata quant.

Quando absentes criminum rei condemnari de Jure civili nequirit? Quando absentes citandi edictis fuerint, & bona eorum adnotanda? quando ob contumacem absentiam Fisco cedant, quando non? Vid. Voet. in Comment. ad Pandect. lib. 48. tit. 17. n. 1. (Vide addit. hisp. verb. Accusari qui possunt.)

ARTICULUS IV.

Absens quoad absolutionem à peccatis & censuris.

SUMMARIUM.

- 1 Absens non potest confiteri per Nuntium, & per literas, ejusque confessio, & absolutio sic à Confessario absente obrita, est nulla, & invalida.
2 Sic etiam invalida esset absolutio, si Confessarius penitentem presentem audiret, & postea per literas eum absentem abolveret.
3 Valida est Confessio si per literas penitens mittat peccata Confessario absenti qui ea legat, & huic factus presens dicat, accuso me de peccatis illis, que scripti, & peto absolvi. Sicuti etiam si presens peccata scripta det Confessario legenda, & postea dicat, de istis peccatis hic scriptis me accuso, & peto absolvi. Non est tamen hoc faciendum sine rationabili causa.
4 Immo multi volunt hoc extra casum necessitatis esse illicitum.
5 Absens etiam invitus extra confessionem sacramentalem potest absolvi à censuris.

Absens non potest confiteri per Nuntium, per literas, ejusque confessio, & absolutio sic à Confessario absente obrita, est nulla, & invalida, quia penitentem absente non potest verificari forma essentialis absolutionis, in qua dicitur, absolvo te, que particula Te ex genere suo est demonstrativa personæ presentis, supra quam cadere debet absolutio; & colligitur ex cap. Quem punitur 88. de penitentia dist. 1. & expresse ex Clementis VIII. constituit. incipient. Sanctissimus Dominus noster Clemens, emanat. 20. Julii 1602. in qua contrariam opinionem, & assertionem damnavit, ut falsam, temerariam, & scandalosam, & sub poena excommunicationis Papæ reservatè prohibuit eam doceri, & in praxim deduci. Sic etiam invalida esset absolutio, si Confessarius penitentem presentem audiret, & postea per literas eum absentem abolveret, quia Clementis VIII. damnavit ne dum absens confessionem, sed etiam absens absolutionem disjunctivè, damnavit enim propositionem dicentem, Licet per literas, seu intermedium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; neque enim in hoc etiam casu verificaretur forma substantialis absolutionis, cum non haberetur presens persona demonstrata ut presens per illam particulam Te. Sic communiter DD.

Valida autem est confessio si per literas penitens mittat peccata Confessario absenti, qui ea legat, & huic factus presens dicat, accuso me de peccatis illis, que scripti, & peto absolvi. Sicuti etiam si presens peccata scripta det Confessario legenda, & postea dicat, de istis peccatis hic scriptis me accuso, & peto absolvi; quia sic implet præceptum confessionis vocalis, dum voce confitetur, peccata ibi scripta esse sua, & de illis habet dolorem requisitum, & sistitur in presentia Confessarii, ut verificetur forma substantialis confessionis per illam particulam absolvo te demonstrativam personæ presentis, ut superius dicebatur, adeoque valida erit absolutio. Est fere communis inter DD. cum La Croix lib. 6. p. 2. n. 1196. Gobat, Lugo, Arriaga, & aliis passim, qui tamen rectè monent, hoc non esse faciendum absque rationabili causa, cum sit contra communem praxim ecclesiæ. Immo multi apud La Croix l. c. n. 1197. volunt, hoc extra casum necessitatis esse illicitum, & colligunt ex Bened. XI. Extravagant. Inter cunctos de privileg. ubi sic habet: Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda est oris confessio, prout scriptum est, corda ad justitiam erigitur, ore autem fit confessio ad salutem, & cap. Quem punitur 88. de penit. dist. 1. ubi sic habe-

tur: Præcipit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda, quia si per vos peccatis, per vos erubescatis; erubescit enim ipsa partem habet remissionis. (Vide leg. 23. & 30. tit. 4. p. 1.)

Mitor doctum Autorem ex supra relatis Bened. XI. verbis num. 4. non agnovisse, extra necessitatem validam esse non posse confessionem scriptam factam Sacerdoti presentem, cum generali illa expressione tantum: Accuso me de peccatis illis, que scripti. Nam si Pontifex Maximus, extra articulum necessitatis, Sacerdoti confessionem oris faciendam esse decernit, & jubet; ergo præceptum ad est de confitendis ore peccatis. Quod quidem præceptum Florentina Synodus satis aperte designavit, cum dixit, Sacramentum Penitentiae oris confessione perfici, & Sacerdus Thomas asseruit. Quodlib. 1. q. 6. art. 10. dum scripsit: Ex ecclesiæ institutione tenetur homo, qui potest, ut verbo confiteatur, non solum propter hoc, ut ore confitens confitendo magis erubescat, ut qui ore peccavit, ore purgatur, sed etiam quia semper in omnibus sacramentis accipitur id, cujus est communior usus. Unde & in manifestatione peccatorum convenit ut verbis, quibus homines communiter & expressius suos conceptus significare consueverunt. Si præceptum hoc adest, confessio per literas facta valida haberi non potest; neque enim conversus, & absolutus Penitentiae Sacramento existimari potest, qui dum Clavium potestati peccata exhibet, contra ecclesiæ præceptum agit. Immo peccat mortaliter, inquit Alphonsus de Ligorio lib. 6. n. 493. qui extra necessitatem totam confessionem scripto, vel nudo facti, ac consequenter non absolvit. Itaque opinio supra ab Auctore exposita ut improbabiliis rejicienda est. Caveant itaque confessarii, ne facile confessiones scriptas admittant, ut soli ipsi legant, & penitens nihil dicat, nisi foras dum Confessarius peccata scripta legat, penitens interrogatus ea se commississe fateatur, ad singula respondendo; ut monet Auctor Theol. Petrocrosensis.

Absens etiam invitus extra confessionem sacramentalem potest absolvi à censuris, quia cum valeant censuræ in absentes late, à fortiori valebit eorum absolutio absentibus data. Est communis cum Pithing in jus canon. lib. 5. tit. 39. n. 164. Anaclet. l. 5. dec. tit. 39. §. 8. n. 267. Pac. Jordan. elucid. l. 14. tit. 2. n. 180. Sic etiam absens potest dispensare ab irregularitate, ut S. Cong. Conc. die 27. Febr. 1666. in una Andegavensi dispensationis respondit, Absentiam hujusmodi non obstat.

ABSOLVERE, ABSOLUTIO.

ARTICULUS I.

Absolutio à quibus, & de quibus dari possit, vel non possit.

SUMMARIUM.

- 1 Erascori à quibus non possint absolvere, ad n. 4.
2 A quibus, & quos possint absolvere, ad n. 7.
3 Assignantur qui in jure censentur legitimi impedimenti adire Pontificem, ad num. 25.
4 Impediti personaliter adire Pontificem vel Episcopum qualiter absolvi possint, ad num. 28.
5 Prælati Regulares, quas facultatem habeant absolvendi suos subditos, ad num. 40.
6 Quas item Confessarii Regulares in foro conscientie absolvendi seculares, ad num. 47.
7 Quas demum quilibet Sacerdos absolvendi quemlibet in articulo mortis, ad num. 57.
8 Absolutio extra articulum mortis à quibus & in quo casu dari possit, ad num. 62.

Episcopi non possunt absolvere à casibus, & censuris publicis reservatis Summo Pontifici ex cap. Cum inferior de majorit. Sobed. Neque à casibus, & censuris occultis in Bulla Cœnæ contentis, & maxime hæresi, ut clare deducitur ex verbis ipsius Bullæ Cœnæ §. 21. ubi expresse

Episcopi est adempta facultas absolvendi à casibus in ipsa Bulla reservatis, quomodocumque etiam si per cujuscumque Concilii decreta prius concessa. Ceterum, dicit Bulla, à prædictis sententis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam præterit quorumvis facultatum, & in quibusvis quibuscumque personis secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militaribus Regularibus, etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Dominicis, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & aliis locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, ut concedendorum, & innovandorum.

Unde cum nullum Concilium nisi Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 6. concesserit Episcopis facultatem absolvendi à reservatis occultis, manifeste patet, quod Bulla Cœna, quantum ad casus in ipsa contentos, revocavit, & revocavit facultatem Episcopis à Concilio concessam, aliis superflua essent verba illa Bullæ, ac cujuscumque Concilii decreta; Et sic teste Barbosa de offic. & potest. Episcop. p. 2. allegat. 4. n. 24. Pignatell. tom. 1. consult. 297. Pegna, Piasce. Fagnan. & alii, declaratum est à Pio V. Gregorio XIII. & Clemente VIII. & pluries à Sac. Congregat. Concil. præsertim die 21. Augusti 1609. die 7. Julii 1617. die 5. Novemb. 1644. & ut refert Delbene, præcis his verbis: Congregatio censuit huic decreto Concilii Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus comprehensis in Bulla Cœnæ Domini Pii V. esse derogatum; Et clarissimè ultimo constat ex decreto Alexandri VII. de anno 1665. 24. Septembris damnatis hæc propositionem tertiam in ordine: Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Junii in Consistorio Sac. Congr. Eminentiis: Cardinalium vix & tolerata est.

Possunt tamen Episcopi absolvere à casibus occultis reservatis Summo Pontifici extra Bullam Cœnæ ex Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. ubi habentur præcis hæc verb. Licet Episcopi... in quibuscumque casibus occultis etiam Apostolicæ Sedis reservatis delinquentes quorcumque sibi subditos in Diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere.

Et impedito personaliter adire Pontificem, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, possunt Episcopi directè absolvere pro utroque foro etiam ab omnibus casibus publicis reservatis Papæ, à jure, aut ab homine etiam hæresi, & in Bulla Cœnæ contentis; c. Mulieres, c. Ea noscitur, c. De cetero, c. De Monialibus tit. 39. de sent. excom. Et autem advertendum, quod si impedimentum est perpetuum, absolventur sine ullo onere comparandi. Si tamen impedimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere adendum Pontificem cessante impedimento, non ad obtinendam absolutionem, cum jam sint directè, & plenè absoluti, sed ad obediendum mandato Papæ, c. Ea noscitur, c. Quamvis; 8. de sent. excom. aliàs non comparando elapso impedimento reincidunt in aliam similem excommunicationem ex c. Eos qui, de sent. excom. in 6. c. De cetero tit. 39. de sent. excom.

Quinam autem censeantur in jure legitime impediti adire Pontificem, istis sequentibus quatuor versiculis, pro facilliori omnium capitu ostenditur. Regula, mors, æger, hostis, puer, officialis, Delitiosus, inops, ægerque, senexque, sodalis, Janitor, adstrictus, dumbus, cause, levis ictus, Debitis, absolvi sine summa Sede merentur. Per ly Regula, intelliguntur Regulares, qui possunt absolvi à suis Prælati Generalibus, & Provincialibus ex variis Summorum Pontificum constitutionibus, & præcipue

ex const. Sixti IV. incipient. Regimini; Pauli III. Licet debitum; & S. Pii V. incipient. Romani Pontificis, & alia ejusdem inopi. Dam ad Congr. Per ly Mors, intelliguntur constituti in mortis articulo, c. Quamvis 58. de sent. excom. Per ly Sexus, intelliguntur mulieres, que ob fragilitatem sexus sunt specialiter dispensatæ, c. 13. Ea noscitur, & c. Mulieres de sent. excom. Per ly Mortis, intelliguntur, qui propter inimicorum capitales insidias nequeunt sine periculo occisionis, aut alterius gravis damni iter assumere, c. De cetero, & c. Quamvis de sent. excom. Per ly Puer, intelliguntur pueri, qui ratione suæ puerilis ætatis non sunt capaces longi itineris, c. Pueri de sent. excom. Per ly Officialis, intelliguntur illi, qui ex officio turbam arcendo Clericos percipiunt etiam aliquantulum culpabiliter, c. Veniens 16. & c. Cam voluntate 54. de sent. excom. Per ly Delitiosus, intelliguntur illi, qui sunt ita delicatæ complexionis, ut laborem adendum Sedem Apostolicam nequeant sustinere, c. Mulieres de sent. excom. Per ly Inops, intelliguntur, qui sunt ita pauperes, ut sua inopia impediti nequeant Pontificem adire, cap. Quamvis de sent. excom. Per ly Æger, intelliguntur infirmi, & valedudinarii, c. Ea noscitur, c. Quamvis de sent. excom. Per ly Senex, intelliguntur omnes, qui ratione senilis ætatis laboriosum iter nequeunt sustinere, c. Ea noscitur, & c. Quamvis de sent. excom. Per ly Sodalis, intelliguntur Clerici viventes in communi in eodem Collegio, qui si se mutuo percipiunt, possunt ab Episcopis suis absolvi, nisi forte ratione enormitatis delicti gravior pœna eis debeat, ut colligitur ex c. Quamvis de vita & honest. Cleric. Per ly Janitor, intelliguntur Ostiarii, qui præterit, & causa sui officii Clericos malè percipiunt; c. Veniens 16. & c. Cum voluntate 54. de sent. excom. Per ly Adstrictus, intelliguntur, qui non sunt sui Juris, sed subiacent alterius potestati, ut servi, & filii familias, qui invit dominis, & parentibus nequeunt adire Pontificem, ex c. Mulieres, & c. Relatum de sent. excom. Per ly Dubius, intelliguntur, qui dubitant, an revera Clericos percusserint, & nequeunt se certificare, licet ab aliis pro talibus censeantur, c. Cum desideres §. 2. de sent. excom. Per ly Levis ictus, intelliguntur qui leviter Clericos percipiunt, isti enim possunt à suis Episcopis respectivè absolvi ex cap. Pervenit de sent. excom. Per ly Debilis, intelliguntur, qui ratione debilitatis virium labores itineris sustinere non valent, c. Quamvis 58. de sent. excom. Per ly Cause, intelliguntur omnes illi, qui habent aliquam justam causam, propter quam rationabiliter censeantur non posse adire Pontificem, c. De cetero, & c. Ea noscitur de sent. excom.

Impediti personaliter adire Pontificem non tenentur mittere Procuratorem, vel scribere ad sacram Penitentiarium pro obtinenda absolutione à casibus, & censuris Papæ reservatis, quia jura prescribunt solum, ut rei personaliter adeant Pontificem, & ubi lex non aggravat, neque nos aggravare debemus Penitentes ultra id, quod à jure exigitur. Sic comm. DD. cum Barbosa part. 2. de offic. & potest. Episcop. alleg. 41. num. 7. Et si impediti adire Pontificem, sint etiam impediti adire Episcopum, probabilius non possunt à casibus publicis reservatis Papæ absolvi in foro conscientie à Parocho, aut à Confessario: sicuti etiam impediti adire Episcopum pro casibus diocesanis sibi reservatis publicis, non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis, quia jura in dictis impedimentis pro casibus Papæ reservatis concedunt recursum ad solum Episcopum, & pro casibus reservatis Episcopis ad nullum alium inferiorem reperitur concessus pro absolutione recursus, cum non sit tam difficilis personalis accessus ad ipsum, uti communis tenent DD. cum Leandro de censur. sr. 2. disp. 117. q. 62. Suarez disp. 30. de penit. sect. 3. Felix Potest. tom. 1. p. 4. m. 3352. & 3387. Vasquez, Bonaclina, Navarr. Mastrius, Lugo, & alii teste P. Viva ad propos. 3. Alexand. VII. sub n. 7. ubi dicit in praxin esse recedendum ab hac nostra sententia, quavis probabiliter censeat contrariam opinionem, quam tenent Reiffenst. lib. 1. de cr. tit. 7. n. 397. Perez, Dicastil. Bosius, Palaus, Tambur, & alii.

Prælati Regulares, ut Generales, & Provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, à quibus